Quelle: https://manuscripta.at/?ID=991
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



venerunt de villa · patrem
alexandri et rufi : vt tolleret
crucem eius · Et perducunt illum
in golgatha locum : quod est inter
pretatum calvarie locus · et da
bant ei bibere murratum vinum :
et non accepit · Et crucifigen
tes eum diviserunt vestimenta eius :
mittentes sortem super eis · quis quid
tolleret · Erat autem hora tertia :
et crucifixerunt eum · Et erat titu
lus cause eius inscriptus : rex
iudeorum · Et cum eo crucifigunt
duos latrones : unum a dextris
et alium a sinistris eius · Et ad
impletum est scriptura quam dicit :
Et cum iniquis deputatus est ·
Et pretereuntes blasphemabant
eum : mouentes capita
sua et dicentes · Vah qui destru
it templum : et in tribus diebus
edificat · Saluum fac temetipsum :
descendens de cruce · Similiter
et summi sacerdotes illudentes
ad alterutrum cum scribis dice
bant · Alios saluos fecit : se
ipsum non potest saluum facere · Ipse
rex israel descendat nunc de cru
ce : ut videamus et credamus ·
Et qui cum eo crucifixi erant :
conuituperabant eum · Et sexta hora
factum est tenebre super totam
terram · usque in horam nonam · Et
hora nona : exclamauit ihesus
voce magna dicens · Heloy ·
heloy : lamazabachani · Quod
est interpretatum · Deus meus ·
deus meus : ut quid dereliqui
sti me · Et quidam de circumstan
tibus audientes dicebant ·
Ecce helyam vocat · Currens
autem unus et impletum spongiam
aceto circumponensque ca
lamo : potum dabat ei dicens ·
Sinite : videamus an veni
at helyas ad deponendum eum ·
Ihesus autem emissa voce mag
na expirauit · ✠ Et velum
templi scissum est in duo : a summo
usque deorsum · Videns autem cen
turio quia exclamans expirasset
ait · Vere : homo hic filius
dei erat · Erant autem et mulie
res de longe aspicientes : in
ter quas erat maria magdale
na et maria iacobi minoris
et ioseph mater · et salo
me · et cum essent in galilea
sequebantur eum et ministrabant
ei : et alie multe quae simul cum
eo ascenderant ierosolimam ·
Et cum iam sero esset factum quia
erat parasceue quod est ante sab
batum : venit ioseph ab ari
mathia nobilis decurio · qui
et ipse erat expectans regnum
dei · et audacter introi
uit ad pylatum et petiit cor
pus ihesu · Pylatus autem mi